APOLOGI QVIDAM[1]

De blatteratore[2]

Erat olim par pauperum rusticorum. Cum vir aliquatenus stultus esset, scilicet mulier dominium habuit. Aliquando vir vaccam ad vendendum in mercatum transferre debuit. Antequam abiit, mulier ei consilium dedit, ne vaccam blatteratori cuidam daret.

Vacca autem vere pulchra erat et itaque plurimi emptores vēnērunt. Simulatque vero aliquis virum interrogavit, quanti vacca constaret, ille respondit: «Tibi vaccam non dabo, tu es blatterator.»

Sic mercatus ad finem vergebat et ille vir bonus vaccam suam non vendiderat. Eam iterum domum transtulit. In via autem, quae domum duxit, pontem transire debuit, in quo Sanctus Iohannes Nepomucus magnitudine viventis positus erat, ex ligno factus atque pictus. Cum vir eum videret, ad eum dixit: «Fac, ut hanc vaccam emas, ut eam non iam domum ducere debeam.» Sanctus Iohannes tamen nihil dixit, cum esset ligneus. Vir autem cogitavit: «Ille certe non est blatterator, ei vaccam dabo.» Itaque vaccam iuxta statuam ad adminiculum pontis alligavit et dixit: «Pecuniam mihi solvas.» Sed Sanctus iterum nihil dixit. «Igitur,» vir aiebat, «Tibi eam commodare volo, post duas septimanas iterum veniam atque pecuniam arcessam.» His dictis domum iit.

Cum autem domum veniret, mulier eum interrogavit, num vaccam vendidisset.

«Ita, eam iam vendidi.»

«Eamne tamen non blatteratori cuidam dedisti?»

«O non! Ille, qui eam habet, omnino nihil locutus est.»

«Quanto igitur eam vendidisti?»

«Eam sumpsit, uti eam obtuli. Ita, nondum solvit. Dixi me post duas septimanas pecuniam arcessiturum esse.»

«Eumne igitur novisti?»

«Quomodo eum non noscam? Unāquāque vice enim eum in ponte stantem video, quā transeo.»

[1] Hi apologi ex Palatinatu Superiore exoriundi deprompti sunt ex libro, qui est hic: Franz Xaver von SCHÖNWERTH: Prinz Roßzwifl und andere Märchen. Ed. Erika Eichenseer. Regensburg 2010.

[2] pp. ~~277~~ 245 sq.

«Quo munere fungitur?»

«Hŏc tamen eum non interrogavi. Talem petasum quidem in capite gerit qualem parochus et quinque stellas circa caput habet.»

«O, diabole stulte, hŏc libenter credo istum non loqui. Est enim Sanctus Iohannes. Statim fac eas atque vaccam accersas, aliter ea furto auferetur.»

Itaque illi viro miserrimo iterum redeundum erat, sed vaccam non iam invēnit. Sanctum Iohannem interrogavit, quidnam de vacca fecisset. Nunc se pecuniam suam vel vaccam velle. Cum autem Sanctus omnino non loqueretur, ille bonus vir irascebatur, baculum sumpsit et Sanctum eodem petere coepit, usque dum eius caput de collo cecidit. Unā cum capite etiam centum nummi aurei in terram ceciderunt. Eosdem paulo antea aliquis, qui sciebat caput esse cavum, ibi absconderat.

Vir pecuniam assumpsit et dixit: «Nonne, nunc cum plagas tuas habeas, solvere potes!» Gaudio completus tunc domum iit atque mulieri narravit, quomodo emptorem valde inurbaniter tractavisset et deinde pecuniam accepisset, plus quam postulavisset.

De veste lunae[3]

Aliquando luna cum vestifice quodam itinerabatur. Modo hiems erat atque magna frigora vigebant. Luna autem saepius ad vestificem dixit: «Tantopere frigeo, ut cor meum excuti velit.» Tunc vestifex risit et dixit: «Frigus non sentio, cum mihi bona iacca pellita sit. Talem tibi quŏque faciendam cura.» Luna aiebat: «Talem iam pridem exoptavissem.»

Vestifex statim magnitudinem mensus est et pellem ad iaccam faciendam emit. Intra se dixit: «Eam iam pulchre faciam, quia bonum praemium mihi promissum est.» Aliquot diebus post vestifex cum iaccā vēnit, ut luna eam probaret. Eadem autem paene omnino nimis parva erat. Itaque luna dixit: «Eam maiorem reddere debes, aliter eā uti non possum!»

Vestifex iterum abiit et octo diebus post denuo vēnit. Luna autem iaccam induere omnino non valuit. Vestifex vero iam irascebatur et aiebat: «Nullum talem hominem umquam vidi, qui brevi tam crassus factus erat quam tu.» Vestifex iaccam prehendit eamque denuo maiorem reddidit. Post octo dies vestifex lunam iterum adiit et iam ex longinquo clamavit: «En, iaccam tuam habes, nunc éadem certe conveniet.»

Luna iaccam induit, sed iacca nimis magna erat. Tunc vestifex irā correptus

[3] p. 58.

est, iaccam sumpsit et eam ad pedes lunae proiecit dicens: «Poteris tibi vestificem e caelo apportandum curare!» Et non iam in conspectum vēnit.

De tribus pigris[4]

Erant aliquando tres famuli opificis. Iidem dixerunt se in regiones alienas ire velle. Tamen non longe abierunt et iam procubuerunt. Tunc dominus dives advectus est, qui eos procumbentes vidit. «Quam pigri sunt!» cogitavit. Magnā autem voce dixit: «Illum ex vobis, qui pigerrimus est, dono afficere volo. Pigerrimus ergo ad me veniat!»

Primus genibus ad eum repsit, secundus ad eum provolutus est, tertius vero dixit: «Si quid mihi dare vis, imponas mihi in fundum vestis.» Ille erat pigerrimus et donum accepit.

De perspicillo[5]

Aliquando vir quidam ad mercatum iit atque perspicillum sibi emit. Plura sumpsit et per éadem spectavit. Per plurima perspicilla librum inspexit atque tamen legere non valuit et aiebat: «Nescio, non videre quidem possum, quae ibi scripta sunt. Video tot parvas nigrasque res et nescio, quid hoc sit.» «Eia,» perspicillario dixit, «apta perspicilla non habes.» «Valesne tamen legere?» perspicillarius interrogavit. «O, si legere valerem, perspicillis tuis non indigerem. Scilicet legere non valeo, quā de causā perspicillum emo et putavi me eŏdem adhibitō legere posse.»

«O vir stulte, si legere non potes, perspicillum quŏque non potest.»

In Latinum vertit
SIGRIDES ALBERT

[4] p. 269.

[5] p. 277.